

omnemque mortis dolorisque timorem effugerit, societatemque caritatis coierit cum suis, omnesque natura conjunctos, suos duxerit; cultumque deorum et puram religionem susceperit, et exacerit illam, ut oculorum, sic ingenii aciem, ad bona deligenda et rejicienda contraria, (quæ virtus ex providendo est appellata prudentia): quid eo dici, aut cogitari poterit beatus? Idemque cum cælum, terras, maria, rerumque omnium naturam perspexerit, eaque unde generata, quo recurrant, quando, quomodo obitura, quid in iis mortale et caducum, quid divinum æternumque sit, viderit; ipsumque ea moderantem et regentem pœne prenderit; seseque non unius circumdatum mœnibus loci, sed civem totius mundi, quasi unius urbis, agnoverit: in hac ille magnificentia rerum, atque in hoc conspectu et cognitione naturæ, dii immortales! quam ipse se noscet, quod Apollo præcepit Pythius; quam contemnet, quam despiciet, quam pro nihilo putabit ea, quæ vulgo dicuntur amplissima!

Cap. XXIV. Atque hæc omnia, quasi sepimento aliquo, vallabit disserendi ratione, veri et falsi judicandi scientia, et arte quadam intelligendi, quid quamque rem sequatur, et quid sit cuique contrarium. Quumque se ad civilem societatem natum senserit, non solum illa subtili disputatione sibi utendum putabit, sed etiam fusa latius perpetua oratione, qua regat populos, qua stâbiliat leges, qua castiget improbos, qua tueatur bonos, qua laudet claros viros; qua præcepta salutis et laudis apte ad persuadendum edat suis civibus; qua hortari ad decus, revocare a flagitio, consolari possit afflictos, factaque et consulta fortium et sapientum, cum improborum ignominia, sempiternis monumentis prodere. Quæ quum tot res, tantæque sint, quæ inesse in homine perspiciantur ab iis, qui se ipsi velint nosse; earum parens est educatrixque sapientia.

Off. II. 2. Quid est, per deos, optabilius sapientia? quid melius? quid homine dignius? Hanc igitur, qui expetunt,